



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Barbarorum tum in oriente tum in occidente incursionibus. Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

EVAGRII HISTORIAE

gare aggrediatur, vti totum voluptatū imperium abs se penitus repellat, deque cætero regno potiatur ille ipse, vel eorum tyrannide oppressus ad extremum vsque spiritum illis inferuiens, tandem ad inferos miser detrudatur.

De Barbarorum tum in oriente tum in occidente incursionibus. Cap. II.

*Vid. Pli.
lib. 6. ca.
28.*

AD hunc modum Zeno in initio imperij sui vitam instituit. Illius autem subiecti, tam qui orientem, quam qui occidentem incolebāt, grauib. afficiebantur incommodis: quippe Barbari, qui Scenitæ vocantur, loca omnia populati sunt, multitudoque Hunnorum, qui olim vocabantur Massagetæ, in Thraciam incursionum fecit: quinetiam traiecit Danubium, prohibente nemine. Zeno verò reliquis etiam imperij partibus per vim Barbaro quodam more ac modo spoliatus fuit.

De tyrannide Basilisci, & Zenonis fuga. Cap. III.

Iste Zeno, cum Basiliscus Berniæ frater contra eum arma ferre pararet (erat enim suis ideò odiosus, quòd omnes ex æquo flagitiosissimam eius vitam detestabantur: quandoquidem nulla in eo animi magnitudo elucebat, sed ignavia, & desperata nequitia, quæ fractam illius & euictam à voluptate socordiam satis indicauit) animo demisso fugam capessit, Augusto imperij honore sine vlllo negotio Basilisco relicto. Atque vnà cum coniuge Ariadna, quam secum habebat, quæque fugerat à matre, & si quis alius erat, in quo quicquam erga eum residebat beneuolentiæ, in Isauria, quæ illum antè educauerat, obsessus est. Hoc modo igitur Basiliscus Imperij Romani nactus gubernacula, Marcum filium Cæsarem renunciauit: rationemque imperandi tum Zenoni, tum imperatoribus, qui ante regnauerant, omnino contrariam secutus est.

Quòd Basiliscus, Timotheo Aeluro reuocato, ab eo persuasus, circulares quædam versum literas ad condemnandum Chalcedonense concilium emisit.

Caput IIII.

Iste Ba.